



DE HÆREDITARIIS PROVINCiarUM AU- STRIACARUM OFFICIA- LIBUS COMMENTATIO.

CAPUT I.

DE OFFICIALIBUS HÆ- REDITARIIS IN GENERE EO- RUMQUE DIGNITATE ET PRIVILEGIIS.

Inter cætera quæ Decus præcipuum Imperantibus ad-
dere visa sunt, illud quoque habitum fuit, ut Viri
Insignes & Opibus ac Honore Spectabiles, in Aulis
illorum servirent. Hinc quanto quis Rex vel Prin-
ceps beator fuit, tanto Splendidiore semper usus est famulatu.
Apparet ideo rerum Germanicarum Historiam evolventibus jam
olim quædam Curia Imperialis officia apud Francos in usu fuisse,
cujus rei præter cæteros testem locupletem Adalhardum Caroli
Magni propinquum & Abbatem Corbejæ habemus. E cujus
libro de Ordine Palatii Hincmarus Remensis Episcopus in Epist.
pag. 207. Edition. Sirmond. in hæc verba edisserit: *Apocrisarius*
quem nostrates Capellanum vel Palatii custodem appellant, omnem
clerum Palatii sub cura & dispositione sua regebat. Cui socia-
batur summus Cancellarius, qui à Secretis olim appellabatur, &c.
Post eos vero Palatium per hos Ministros disponebatur, Camera-
rium videlicet, Comitem Palatii, Comitem Stabuli, &c. &c. An-
nales Francici à Petro Pithæo editi ad Annum D. CC. L. XXXI.
ita habent: *Directi sunt ad Legationem in Basileriam in Bojoa-*
riam de parte Regis, Ludolphus Diaconus atq; Eberhardus Ma-